

ANTONIUS ONUPHRIUS

DE OFFICIO

OKECI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS POSNANIENSIS ET VARSAVIENSIS, SUPREMUS REGNI CANCELLARIUS, ORDINUM AQUILÆ ALBÆ ET SANCTI STANISLAI EQUES.

Universo Clero Seculari & Regulari Diœcesis Nostræ Posnaniensis, salutem & Benedictionem Pastoralem.

Nihil est, quod magis æque Nostro ac Vestro, dilecti in Christo Fratres, expediat munus, quam ut cum Ministri DEI simus, Ministerium in Divinis ea ratione peragamus, quæ non tantum Nos vocatione Nostra dignos reddere, sed etiam quæ dignitatem Divinorum præferre queat. Hoc sanè est, quo nihil in studiis vocationis Vestræ solennius sit, oportet, atque cum omnia Divina cum eo, qui maximus esse potest, cultu peragi debeant, tum certè ea, quibus ratio dignitatis cujuscunque Sacramenti accedit. Nec immerito; plurimum etenim Sanctitatis Religionis interest, ut ea, quæ potissima ejus Mysteria Nobis exhibent, non tantum fide, sed etiam debitis pietatis, ac cultus officiis quam religiosissimè prosequamur, atque non supervacue, nec in alium finem Ecclesiæ Ritus & Cæremonias constituit, nisi ut DEUS exactius ac religiosius in exercitio sui Cultus ministerium habeat.

Neque verò, Dilecti in Christo Fratres, Officium Vestrum ritè adimplevisse arbitramini, si tantummodo Cæremonias & Ritus in Divinis præscriptos observaveritis, nisi quoque menti Ecclesiæ, qua eos instituit, & Vestros in illis adhibendis, & Fidelium Animos conformes reddere studeatis.

Magna profectò est vis Sacrarum Cæremoniarum ac Rituum, nullusque eorum supervacaneus ac inanis censendus est, omnesque eo tendunt, ut Majestas Divinorum magis ac magis eluceat, animique & mentes Fidelium, qui eos intuentur, ad cogitationem sublimium rerum erigantur; sed prout optimis & saluberrimis quibusque rebus ea sors contingit, ut nisi juxta proprium sibi intentum adhibeantur, finem non assequantur suum, ita quoque eandem sortem & Sacræ Cæremoniæ ac Ritus experiuntur, si modo à mente Ecclesiæ alièd exercentur.

Absit à Nobis, quin culpā Nostrā hanc sortem Divina subeant, & aliquid alienum à dignitate ac instituto eorum in exercitio se immisceat. Atque cum erga omnia Divina, præsertim quæ Characterè Sacramenti sunt insignita, Vos quam religiosissimos esse cupimus & adhortemur, tum præcipue hoc Religionis Officium erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum commendamus; utpotè illud, quod sua præstantia omnibus aliis Sacramentis longè antecellat, quodque sit tam plenum Sanctitatis, vel potius quod ipsum Authorem seu fontem ejus contineat, ut gravis animadversio à DEO metuenda sit, si non sanctè ac religiosè à Fidelibus tractetur.

Hinc sanè est, quod magnopere vereamur, ne in studium Adorationis hujusce Augustissimi Sacramenti quidpiam tale irrepat, quod Majestate ejus sit indignum. Quod autem vel maximè hanc Nostram sollicitudinem excitat, est: frequens Divina Hostiæ Expositionis usus. Laudabilis quidem est consuetudo hujusce Expositionis, eoque tendit, ut quod tanquam Sanctissimum Religionis Nostræ Mysterium Nobis ante oculos ponit, erga id studia fidei ac venerationis in animis Nostris altius imprimat; verum si eadem Expositio non eā, quā par est decentiā peragatur, tantum abest quin propositum sortiatur effectum, ut potius in Populo ardorem fidei & cultus imminuat ac refrigeret. Quapropter in exponendo palam Sacrosancto Christi Corpore potius non parcos, sed omnis decentiæ ac cultus studiosos, (quod consultius est ejus dignitati) quam largos sed hujusce studii immemores exhibeamus oportet.

Et sanè id est, quod Vobis Dilecti in Christo Fratres, in præsentibus Literis, Nostris Pastoralibus quam maximè commendamus, quatenus scilicet consuetudini Expositionis Sacrosanctæ Hostiæ excedenti laudabile ejus intentum modum ponatis, quoties verò illam exposueritis, semper illo apparatu ac magnificentia fiat, quæ Majestatem latentis sub specie panis Salvatoris Nostrī, quam maximam oculis & animis Fidelium imprimat. Ut verò hæc sollicitudo Nostra, qua dignitati cultuique Sanctissimæ Eucharistiæ consulere cupimus, certior & uniformem ubique locorum per Diœcesim Nostram in Ecclesiis Sæcularibus & Regularibus sortiatur effectum, hunc in finem certos dies, quibus Sanctissimam Eucharistiam exponere licebit, designandos esse duximus, prout designamus quidem & duntaxat: Festum & Octavam Corporis Christi, Festa Patroni & Dedicationis Ecclesiæ, aliaque duo, quæ Indulgentiis plenariis sunt insignita, nec non circa Sepulchrum Christi. Atque insuper, nonnisi tamen in Pixide, Quadragesimali tempore, in postmeridianis Devotionibus Passionis Christi, in iis tamen duntaxat Ecclesiis, in quibus eas coram exposito Sanctissimo fieri usus recepit, quæque majorem Populi confluentiam habent: aliis verò diebus ac Festis Expositionem ejus fieri prohibemus, ita ut frequentior ejus usus nec in Ostensorio, nec in Pixide, nisi cum Consensu Nostro, seu Officii Nostrī, si justa accesserit ratio, non sit licitus.

Haud prætermittendam hoc loco censemus esse opinionem eorum, qui publicam Divinæ Eucharistiæ expositionem lucrandis Indulgentiis necessariam esse arbitrantur, & licet hancce opinionem esse erroneam sat abundè demonstrat, quod Expositio Sacri Eucharistiæ Sacramenti inter opera in gratiis Indulgentiarum præscribi solita non designetur, ut tamen id certiori fide excipiat, & Populo imprimatis Bullam Benedicti XIV. die 16. Aprilis 1746. editam, cujus verbum initiale est, = Accepimus = Quæ verò dictam opinionem redarguunt, sunt hæc = „Tam falsa opinio dissimulari non debet, cum Indulgentias assequantur illi, qui omni peccati labe expiati satisfaciunt universis operibus, quæ præscribuntur ab eo, qui Sacras Indulgentias elargitus est. Quamobrem si minimè præcipiatur Fidelibus, ut Sacra Mysteria publice exposita venerentur, apertissimè constat in errorem maximum adduci eos, qui asserunt Indulgentias, quæ tribuuntur Fidelibus Ecclesiæ invisentibus haud comparari, nisi Sacrum Eucharistiæ Sacramentum in ipsa Adoratione publicè exhibeatur, = Hanc inquam Bullam perlegendam Vobis suademus.

Neque verò satis est ad consulendum dignitati expositionis Divinæ Hostiæ, posuisse Nos modum frequenti ejus usui, nisi quoque eidem SSmæ Hostiæ præfixis diebus exponendæ, debitam decentiam ac Majestatem providerimus; atque ad hanc cum plurimum conferat, ut locus Expositionis sit conspicuus, quique decenter adornatus, ac lumine Candelarum affulsus existat, ut denique oculi & animi Populi intuentes Gloriosissimam Sacrificii Xsti Hostiam, erga eam debito cultus ac venerationis studio ferantur. Pro ratione itaque horum id à Vobis observari volumus, quatenus Expositio Sacrosancti Corporis Christi, non coram alio, quam Majori Altari fiat, utpote quod magis oculis & adorationi Populi est obvium, utque idem Altare quam decentissime sit adornatum, ac ut ei lumen saltem Sexdecem Candelarum affulgeat.

Extremum est, quod Vobis quam maximè commendatum esse volumus, quatenus Populum in his omnibus, quæ dignitatem SSmæ Eucharistiæ, & obligationem Adorationis ejus, quæ Nobis ex Religione incumbit, spectant, diligenter instruere studeatis, atque hoc nimirum est studium, quo adaugendo cultui ac venerationi multoties dictæ Divinæ Hostiæ magis, ac per frequentem Expositionis ejus usum, prospicere ac consulere potestis.

Quæ omnia in præsentī Processu Nostro ordinata, ne suo frustrentur effectui, DD. Venerabilis Foraneis quam maximè commendamus, quatenus executioni eorum invigilent; quam si neglectam aliqua in Ecclesia animadverterint, Nobis seu Officio Nostro Consistoriali deferant. *Datum Varsaviæ die Vigesima Sexta Mensis Septembris, Anno Domini 1781.*

ANTONIUS EPISCOPUS mpr.



Processus, quò præscribitur norma in Expositione SSmæ Eucharistiæ servanda.